

## ARTICULUS I.

*De fluidorum natura.*

## I.

**F**luidum definiri solet *corpus omne cuius* *partes vi cucumque illatae cedunt, & cedendo facile mouentur inter se.* Singula hujus definitionis partes explicabimus ... 1 Hæc est primaria fluidorum proprietas ut partes cedant vi etiam minimæ & quæ sub sensu non cadat. Hinc patet illam fluidorum proprietatem a sensibus nostris pendere; si enim organo tactus longe subtiliori donati essent homines ita ut eam liceret deprehendere resistentiam quæ sensuum nostrorum potestatē fugit, jam corpora plurima non reputaremus fluida quæ tamen ut talia a nobis sentiuntur ... 2 Ad constitendum corpus fluidum, oportet minimas omnino esse illius particulas ita ut sensibus nostris sese subducant. Si enim corporis aliquius partes seorsum tangere aut videre liqueat, tanquam fluidum haberri non debet corpus illud. Ita licet farina minutissimis constet particulis quæ levi digito statim moveantur; quia tamen digitis compressæ facile sentiuntur, fluida dici non debet farina. At si multo subtiliores evadant particulae, ut sit dum panis dentibus atteritur, ventriculi & intestinorum actione subigitur ac tandem in chilum sanguinemque transmutatur, jam fluidi proprietates & nomen acquirit... 3 Ut clara habeatur fluido-